

21

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
SISTENS CASVM  
DE  
**SCIRRHO MESENTERII  
EXVLCERATO**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PUBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CURIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS SOLEMNITER CONSEQUENDIS,

D. XI. SEPTEMB. A. S. R. C<sup>I</sup>O I<sup>C</sup>CCLVI.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET.

A<sup>V</sup>C<sup>T</sup>OR

**IOANN. CAROLVS EHRENFRIED HEBENSTREIT<sup>•</sup>**

WRATISLAVIA - SILESIUS

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS FÜRSTENIANIS.



DISSESSATIO INAGARIA MEDICEA  
SISTENS CASAM

DE CAVENDISH

# SCIRRHO MSENTERI EXALCERATO

ALDO THASCI EXCELLENTISSIMO ET PRAECELESTISSIMO  
PRAESIDE  
DOMINO

## D. ANDREA ELIA BACHNERO

SACCI ROMANI IMPERII NOBILI  
POTENTISSIMO PARISAE REGI A CONSERVIS TUTIORIS  
MEDICINA ET PHYSIQUE MARTINUS CAROLUS LEBEDE  
IMPERIALIS ACCADEMIA NATURÆ CAROLUS LEBEDE  
ET COMITE FELIX CAESARIO

## PRO CRADA DOCTORIS

SUMMUS ET IN MODUM HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIAS SOLVIMENTA CONFERENDA

DUO SEPTEMBER V. E. C. 1596.

## IN ALIA REGIA RITUALICIANA

EARLIE DE FERNBACH

ACUTOR

## JOANN. CAROLAS HIRNHEIRD HERNSTREIT.

ARTILLARIA - GLOSTERIA

ARTILLARIA - GLOSTERIA  
TUTTIERS TUTTIERS





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRLIS MEDICA  
SISTENS CASVM  
DE  
**SCIRRHO MESENTERII**  
**EXVL CERATO.**

PROOEMIVM.

Ingentem satis esse illorum maxime morbo-  
rum catervam, qui caussas suas in intimis  
corporis humani partibus absconditas habent,  
& idcirco tam ratione cognitionis & indagatio-  
nis, quam curationis & remotionis, arduam Me-  
dicis crucem figunt, quotidiana abunde docet  
experientia, saepiusque tenebris quasi involutae  
manerent primae illorum origines, dirissimorum  
symptomatum genuini fontes, nisi Anatomia, in-  
geniosa illa & artificiosa partium corporis sectio,

A 2

nos

## PROOEMIVM.

nos non tolum constitutionem eius exactissime edoceret, sed insimul quoque ad perfectiorem singularum partium cognitionem manu quasi ita duceret, ut si qualemcumque praeter naturalem mutationem ac laesionem patientur, facilius dein cognoscamus, quantum & in quo eadem a natura sua recesserint. Hinc illa in primis Anatomia, qua cadavera morbis intricatis defuncta, pro investigandis eorum & subsecutae mortis caussis, sedulo & exacte rimantur, quamque idcirco speciatim *practicam* vocant, ob summam, quam in clinica Medicina semper praestitit, utilitatem, eximie in primis sese commendavit. Vno quippe ingenue fatentur ore omnes in rebus anatomicis prae aliis exercitati celeberrimi Viri, non raro se in perscrutatione morborum, maxime obscuriorum, deceptos fuisse signorum diagnosticorum incertitudine, dum varia omnino sunt, quae nobis aliquando maxime sinistrum & plane funestum minantur eventum, veluti Empyemata, Vomicae, dolores clandestini rebelles, extravasationes diversorum humorum hinc & inde factae & *abstessus* partium internarum, de quibus suspicionem equidem haud frivolam sapienter symptomata sub ipsis morbis occurrentia, certitudinem autem perfectam denum post fata praebent cadaverum sectiones. Maximam autem

## PROOEMIVM.

tem in primis attentionem mereri ultimam modo enumeratarum caussarum abstrusiorum, *abscessus* nempe *viscerum*, diu iamiam probe agnoverunt Medicis clinici in arte nostra ceteroquin exercitatissimi, multumque idcirco industriae & exactum iudicij acumen ad eosdem & rite cognoscendos & dextre appositeque tractandos requiri, haud vano monuerunt consilio. Liquido igitur exinde patet, quid caussae subsit, cur praestantissimus Medicus & Chirurgus Neapolitanus, *Marcus Aurelius SEVERINVS*, vere recondita doctrina refertos nobis reliquerit Libros VIII. *de recondita abscessuum natura*; cur *Antonius BENIVENIVS*, *de abditis morborum & sanationis causis* agens, inter alia etiam occultos mesenterii abscessus variorum gravissimorum morborum caussis adnumeraverit \*), & cur denique *Ioannes FERNELIVS*, qui & ipse in *abditis rerum causis* eruendis occupatus fuit, postquam alio loco \*\*) speciatim mesenterii abscessuum signa fusius & exquisitus enarrasset, sequentia tandem subiunxit verba: *Haec autem obscuritas multis fuit causa ignorantiae, cur harum partium affectus praetermissi fuerint, nec Veterum scriptis celebrati.*

Non plane inutilem itaque me suscepturnum esse laborem arbitror, si in praesenti hocce inaugurali

A 3

gurali

\*) Cap. *XIII.* § *XXXVII.*

\*\*) Libr. *VI.* de part. morb. § symptomat. Cap. *VII.*

## PROOEMIVM.

gurali Specimine, occasione Casus cuiusdam notatu haud indigni, *Scirrum mesenterii exulceratum* exactiori scrutinio & indagationi subiiciam, in primis quoniam aegroto, gravissimo hoc malo diu satis adflicto & excruciatu, non solum adesse, & symptomata varia, successive tam numero quam gravitate insigniter aucta & exacerbata, observare & annotare, sed etiam anatomicae sectioni post mortem tandem subsecutam institutae, simul interesse mihi licuit, unde spem haud vanam concipio, fore, ut ex diligentis phaenomenorum praeципuorum, in limine statim recensendorum, explicatione fructus aliqualis in rem medicam, qua docendam discendamque, qua faciendam, redundaturi sint. Adsit autem divinum Numen benignissime conaminibus his nostris, ut Eius praecepit gloria aliorumque salus inde promoveatur.

## C A S V S.

**N**obilis quidam annorum XLIV. temperamenti melancholico-cholerici, habitusque corporis idcirco strictioris, in regione quadam minus salubri, ob aerem crassum, humidum, vaporibusque putridis continuo fere inquinatum eandem ambientem, educatus, cibis crassioribus & dyspeptis nutritus, crebrioribus ac variis corpus admodum defatigantibus laboribus semper obnoxius, a primis statim annis ad ultimum usque virae terminum variis chronicis, infimi inprimis ventris viscera adstringentibus, excruciatu fuit morbis. In aetate enim infantili atrophia cum-

cum febre lenta laborabat, qui morbi optis quidem remediis tandem tollebantur, remanente tamen praeternaturali quadam expansione duriori abdominis, circa regionem umbilicalem & lumbarem tam dextram, quam sinistram, in primis conspicua, quae nulla arte penitus auferri, sed aliquo saltet modo diminui poterat. In puerili dein aetate frequentius colica vexabatur biliosa, coniunctis molestis vomendi conatibus & tenesmis, qui, reiecta demum per vomitum saburra bilioso-viscida, ordinarie iterum cessabant. Ab his quoque incommodis liberatus, per aliquot annos tranquilla quadtantus gaudebat sanitatem, donec sub adolescentili aetate febres accederent intermitentes, tam quotidiana, quam tertianae, modo regulares, modo anomala, mox cessantes, mox inopinato redeuntes, sive in aetatem usque virilem continuantes, ac tandem in quartanam regularem transentes, dolore quodam obtuso comitata, qui ex regione dextra hypochondriaca ad lumbarem & umbilicalem usque se diffundebat, eademque ratione continuabat, postquam quartana simplex regularis in duplicatam mutata erat. Succedebant huic tumores pedum oedematosi versus superiore ascendentis, metumque haud levem subsecuturi forsan hydroper ascitis incurientes, qui tamen, feliciter sublati, congrua medendi methodo, tumoribus istis & dolore antea memorato, prorsus evanescebat, ita ut per unum alterumve annum, praeter supra dictam abdominis expansionem, & subinde intercurrentes leniores colicos dolores, nihil amplius incommodi sentiret.

Adpropinquante vero quadragesimo aetatis anno gravissima excrucibatur colica spasmodico-convulsiva, letalem prorsus eventum minitante, qua tandem non sine multa difficultate mitigata, satis notabile capiebat incrementum supra memorata abdominis expansio & durities, praesertim in sinistro hypochondrio. Superveniebat his incommodis circa medium quadragesimi tertii anni febris lenta, ordinariis non solum symptomatis, sed insuper quoque peculiari quodam tumore, prope scrobiculum cordis assurgente, & primo ovi columbini, post duorum vero mensium intervallum anserini magnitudinem referente, stipata. Proinde etiam

not<sup>a</sup>

non solum expansio, durities & inaequalitas abdominis ulterius insigniter augebatur, sed etiam spasti torminaque vaga & flatulentiae continuo sere aegrum adstigeabant, ita ut alimentorum assumptio & deglutitio perquam difficilis readebat. Ingehortur his porro alvi segnities, parcior urinæ excretio, respirandi angustia, sitis pene inextinguibilis, tumor pedum oedematosus recurrens, ipsaque febris bestica, cum sudoribus colliquatibus & reliquis eandem comitantibus symptomatibus arduis, sub quibus tandem gravissima orthopnoea, in catarrbum suffocativum transiens, miserrimae hactenus transactae vitae finem imponebat.

Instituta dein anatomica cadaveris sectio edocuit nos, causam gravissimorum isterum morborum, dolorumque dirissimorum, & subsecutae tandem mortis, unice in obstructione & induratione universali, seu ingenti Scirrho mesenterii exulcerato, indeque insigniter mutato reliquorum abdominis viscerum statu naturali, positam fuisse. Summo enim cum stupore deprehendimus, partem hanc, alias ex tenerrimis membranis cellulosis, pinguedine resertis, constantem, in praegrande, durum & inaquele corpus, undeviginti libras cum dimidia pondere aequans, degenerasse, quod in superficie non solum, sed & in interiori substantia subcinerei erat coloris, cum intermixto subrubro, saepeque dissectione complures, iam maiores, quam minores monstrabat cavitates, quarum priores sanguinem putridam & foetidam, posteriores autem paulo crassiorem purulentam continebant materiam. Ingens ergo haec moles quum per totam se se extenderet abdominis cavitatem, reliqua omnia in eadem contenta viscera e naturali sua emoverat sede, insimulque ventriculi & intestinorum diametrum non solum arctissimum reddiderat, sed etiam cum iisdem & reliquis visceribus, itemque duabus ultimis costis spuriis & tribus inferioribus lumborum vertebris, operiorum quarundam tunicarum, adeo arde & firmiter coaluerat, ut aegerrime non nisi ab iisdem separari potuerit.

§. I.





§. I.

**S**cirrus est tumor durus, tactui renitens, immobilis, indolens, in partibus mollieribus, vasculosis praecipue & glandulosis, ab humoribus viscidis & crassioribus ibidem coacervatis, incarceratis & successive coagulatis & induratis, prognatus. Omnes ergo corporis nostri partes molles, exceptis tendinibus & cerebro, huic malo obnoxiae sunt <sup>a)</sup>. Cognoscitur autem ordinarie ex praeternaturali talis partis extensione & elevatione, modo citius, modo tardius incrementa evidenter capiente, ita ut tumor, magis magisque sese diffundens, maiorem tandem & saepius quasi lapideam induat duritatem. In primo sui initio Scirrus communiter naturalem retinet colorem partis affectae, & sola saltet duritate praesentiam suam monstrat; quando autem vel ob alias caussas & graviores morbos supervenientes maior humo-  
rum  
B

<sup>a)</sup> Conf. Diss. de *Scirro*, Praeside Illustr. b. m. HAMBERGERO  
Ienae 1751. ventilata.

rum versus eundem adfluxus concitatur, tunc color naturalis facile in spadiceum & durities in mollitiem abit, auctior in humoribus ibidem stagnantibus intestinus motus concitatur, illique vel in purulentam materiam, vel, quod frequentius contingit, in foedam & acrem saniem degenerant, ulceraque pestima, plerunque cancrosa, formant.

## §. II.

Sedem suam utplurimum habet Scirrus in iis partibus corporis, in quibus copiosa vasa minora, quae in ulteriori suo progressu semper angustiora evadunt, variasque & innumeras complicationes formant, praesto sunt. Talis autem structura cum glandulosis partibus in primis sit propria b), liquido inde adparet, quod idcirco vel ipsas glandulas, vel viscera alia, iisdem quoad structuram sifillima, ut pulmones, hepar, lienem, renes, uterus, occupare soleat.

## §. III.

Solertissimi equidem Anatomici, MALPIGHIVS c), RUVSCHIVS d), & celeberrimus nostro aevo LIBERKÜHNIVS, iam dudum beneficio artificiosarum iniectionum

b) Vid. Ierem. LOSSII Disput. de *Glandulis in genere*. Wittenb. 1683. & Guilielm. MYLII Disput. de *Glandulis*. Lugd. Bat. 1698.

c) Vid. Eiusd. Opera post huma p. 100. sqq. & speciatim Epistola de *Struetura glandular, conglobat, consimiliumque partium*; it. Herm. BOERHAAVE *Epistola anatom. ad Frid. RUVSCHIVM*, in eius Opusculis, pag. 68. sqq.

d) Vid. Eiusd. *Epist. anatom. responsoria ad Hermann. BOERHAAVE*, in huius Opusculis omnibus, Hag. Comit. 1738. editis, pag. 84. sqq.

num & microscopiorum glandulosam fabricam ferme in omnibus teneroribus corporis nostri partibus observarunt, dum ubique insignes minimorum vasculorum deprehenderunt complicationes, adeoque facile exinde concludi posset, generali significatu glandulas undiquaque in iisdem occurrere & dispersas esse. Ast in strictiori & proprio sensu glandulae, iuxta Illustr. HEISTERI descriptio-  
nem e), quam pace Tanti Viri meam hic facio, sunt par-  
tes peculiaris habitus, ex congerie minutissimarum arteriarum,  
venarum, nervorum, & plerunque etiam ductu excretorio, con-  
flatae, propria membrana cinctae, varise figurae, coloris &  
consistentiae, usibus diversis, ut plurimum tamen secretioni ali-  
cuius liquidi destinatae.

§. IV.

Licet etiam porro quamplurimas olim glandularum differentias varii excogitaverint Auctores, distinguendo nempe easdem in carneas, vesiculares, conglutinatas, vasculosas, molliores, solidiores, perpetuas, adventitias, pluresque alias; sufficit tamen, si, ad mentem celeberrimorum nostri aevi Anatomicorum, in duo saltem summa genera, sub quibus omnes & singulæ comprehendi possunt species, dividuntur, nempe in *simplices*, seu *solitarias*, quas alii *conglobatas* vocant, ex unico corpusculo sphaeroideo, distinto, suaque membranula incluso, constantes; & in *compositas* seu *connexas*, vulgo *conglomeratas* dictas, quae ex pluribus minoribus inter se coniunctis componuntur, certa membrana investiuntur, unum communem ductum,

B 2 in

e) Vid. Compend. anatom. p. 10. §. 33. Edit. Norimb. 1727.  
item Diff. Eiusd. de vera Glandulae appellatione, Cap. III.  
§. V. Helmstad. 1718.

in peculiarem quandam cavitatem, obtinent, communem quem actionem edunt.

### §. V.

Ex diversa hac glandularum structura functio illarum diiudicari potest, quam potissimum in sanguinem ad canales illorum advectum exserunt, argumentando nimirum ex structura detecta ad varias fluidi, per canales istos transcurrentes, mutationes. Variant enim vascula, ex quibus haec organa composita sunt, tam longitudine, copia & amplitudine, quam complicatione, densitate & fibrillarum nervearum intertextarum maiori aut minori quantitate; adeoque maiorem omnino mutationem sanguis subit in longius excurrentibus eiusmodi canaliculis, quales in congregatis & conglomeratis inprimis deprehenduntur, quam si breviores illi fuerint, sicuti in folliculis glandulis, quae ob minorem dictorum vasculorum copiam non adeo insignem mutationem in sanguine ad illas adfluente producere solent.

### §. VI.

Patet igitur ex modo adductis, sanguinem in longavasorum serie motum valde mutari, illumque lento admodum & debili motu per eadem progredi. Angustia enim illorum successive magis magisque aucta, & formati ab iis anguli varii, recti & obliqui, obtusi & acuti, obliquo vigoris gradu resistentia sua privant. Proinde etiam vires partium corporis nostri, tam solidarum, quam fluidarum, in naturali statu ordinarie in aequilibrio sunt, semperque ea solidorum deprehenditur ratio, quae fluidorum

dorum est, ita ut, ubi pauciores partes fluidae moventur, ibi etiam tenuiora & angustiora sint vasa; cumque humores in minimos globulos divisi exigua constituent massam si seorsim spectentur, hinc minorem etiam exserunt actionem in vasa minima, horumque pariter debilior erit reactio, ob laxiorem partium fibras constituentium cohaesione.

§. VII.

Vis fluidorum movens & in solida agens dependet in corpore nostro a motu illorum progressivo & intestino, indefinenter & aequaliter in illo succendentibus. Progressivus motus determinatur per vim systalticam solidorum mollium, intellectius vero sub ipso progressivo simul producitur, estque causa resolutionis eorum in minimas particulas. Quando igitur humores per priorem illum, nempe progressivum motum, ad minima deferuntur vascula, quorum diameter non nisi unicum semper admittit globulum, tunc parietes illorum aequaliter in globulos tales, ita successive se invicem excipientes, agunt f), qui dein sub continuato ulteriori progressu fluidi & perseverante vi solidarum partium, in minores dividuntur, eoque ipso aptiores redduntur, ut in angustiores subsequentes canales penetrare queant.

§. VIII.

Pro conditione ergo tam solidorum, quam fluidorum, variaque illorum structura & horum mixtione ac fluiditate, varius semper erit effectus intuitu progressivi motus

B 3

f) Vid. Acta Med. Edimburg. Tom. II. pag. 82. ubi Experim. VII, haec propositio fusius probatur.

motus eiusque successus tam liberioris, quam impeditio-  
ris ac magis retardati. Hinc si crebrioribus spasticis &  
constrictoriis motibus adficiuntur solida, insimulque  
etiam viscida & spissiora, quacunque ex caussa, reddun-  
tur fluida, non solum motus horum in maioribus aequo  
ac minimis vasculis admodum retardatur, ut tandem  
prosunt in iisdem subsistant & obstruktiones producant,  
sed solidorum etiam fibrillae teneriores a stagnantibus il-  
lis fluidis moleste premuntur, distenduntur & irritantur,  
variaque hinc symptomata & dolorifica pathemata con-  
citantur.

### §. IX.

Quoniam ex praemissis (§. VIII.) constat, quod obstruktiones ordinarie primum suum capiant initium in minimis vasculis, quorum diameter in ulteriori illorum progressu successive angustior evadit; haec vero structura ultimis arteriis sanguiferis, seu rubris, primisque illas excipientibus serosis & lymphaticis proprie competit, quales maxime ad glandulas constituendas & formandas concurrunt: Hinc facile patet, cur partes hae organicae, variorum liquidorum secretioni inprimis destinatae (§. IV.), obstruktionibus facilius pariter ac frequentius obnoxiae reddantur.

### §. §.

Obstruktionis autem conditio variat, pro diversitate staseos humorum, in pluribus vel paucioribus canali-  
bus factae, cuius indicium praebet varia inde eveniens  
magnitudo tumoris obstruktionem concomitantis. Vasa  
enim obstructa, ob denegatum progressum fluidi ulter-  
ius

rius propellendi, & collectionem ac stagnationem novi a tergo continuo affluentis, in maius subinde spatium extenduntur, eoque ipso, vicinas & proxime adiacentes partes itidem expandendo & elevando, superficiem illarum inaequalem reddunt, quam ita mutatam earum formam *tumorem* vocamus, qui dein, pro caussarum & aliarum circumstantiarum diversitate, modo magnus, modo parvus, durus aut mollis, dolorosus aut indolens evadit, variasque peculiares denominationes inde obtinet.

### §. XI.

Quo diutius durant obstructiones in canaliculis quibusdam obortae & productae, eo magis ipso tali temporis successu invalescunt eoque latius sele plerumque diffundunt. Dum enim humores, a tergo ad locum usque obstructum progredientes, ab ulteriori libero ibidem excluduntur transitu, necessario ad alia vicina copiosius regurgitant vasa, & ob copiam magis auctam tardius per illa moventur, unde partes illarum, motu intestino debilius agitatae, subinde arctius inter se cohaerent, fluidum ipsum spissius evadit lentoremque acquirit, & tandem in his quoque canalibus subsistit, atque ita maius tumoris incrementum producit.

### §. XII.

Quoniam etiam porro omnis nervorum tensio pateraturalis ingratam infert sensationem, seu dolorem, hicque tanto gravior est, si teneriores aut pauciores illorum ramifications ita moleste adficiuntur, expanduntur, vel etiam stimulantur & irritantur, facile hinc patet ratio, cur utplurimum tumores, tam moliores, quam durio-

duriores, in primis autem a caussa sanguinea inducti & repente invalescentes, in initio praesertim & augmento, doloribus satis exquisitis, lancingantibus, prementibus spasticisque stipati incedant. Dum enim stagnantes in vasculis minoribus humores, & reliqui a tergo affluentibus magisque ob tardiorum progressum accumulati, membranas illorum & intertextas iisdem nerveas fibrillas successive vehementius distendunt, aut etiam aceriores illis forte immixtae particulae irritando, arrodendo & stimulando has ipsas ad vehementiorem constrictiōnēm sollicitant, necessario exinde dolorificae eiusmodi sensationes, ab inflammatoriis tamen adhuc distinctae, concitari possunt ac debent. Quodsi autem diuturniori temporis mora eiusmodi fluida stagnantia magis inspissentur, aut, secedentibus & evaporantibus tenuioribus partibus aqueis plane exsiccentur, tunc vel ob nimiam debilitatem, sub continua expansione tandem inductam, vel ob rigiditatem fibrillarum sensibilium, ex humorum induratione prognatam, naturalis sentiendi facultas imminuitur aut plane tollitur, indeque est, quod Scirri ordinarie fere indolentes sint, antequam ad exulcerationem tendunt, tumores autem sanguinei fere omnes, non admodum inveterati, manifestiores communiter inferant dolores.

### §. XIII.

Consensus ille satis liquidus, qui inter complures corporis nostri partes notatur, & tam vasorum, quam nervorum communicatione unice nititur, nullum nobis relinquit dubium, quin etiam obstructiones & tumores, praecipue grandiores & graviores, specialem quandam partem aut viscus occupantes, in aliis remotioribus ex hoc fundamento varia satis interdum fontica concitare vale-

valeant symptomata. Dum enim & vasorum & nervorum omnium ramifications ad minimum communem quandam, in truncis variis eminentioribus, agnoscunt originem, huiusque respectu quaelibet mutationes insigniores & graviores, circa ramulorum extremitates contingentes, modo subito, modo etiam successive ad reliquas partes, nervos & vasa sua ex uno eodemque trunco obtinentes, propagantur; facile utique exinde patet, quod & particulares in certo saltu loco obortae obstructiones, temporis successu, dum magis magisque invalescunt, & partim nerveae fibrillae ad crebriores & auctiores spasmaticas constrictiones sollicitantur, partim quoque progressivus humorum motus per vasa magis retardatur & turbatur, imo & ipsa viscera vicina, ob molem partis obstructae magis auctam, pressionem molestam patiuntur, in remotioribus corporis regionibus non solum complura incommoda excitare, sed etiam variarum functionum turbationes interre valeant.

## §. XIV.

Quum tandem etiam omnem vasorum obstructionem temper excipiat praeternaturalis admodumque ingens saepe illorum & partis ipsius affectae distensio & expansio, rupturam quandoque fere minitans, merito adhuc, antequam ad specialiora progrediamur, dispiciendum nunc erit, qua ratione id ipsum, salua adhuc manente partium talium cohaesione, contingere queat. Constat iam ex physiologicis, quod fibrae solidarum partium ex interioribus terreis elementis, succo aliquo viscido seu glutine animali arctius inter se connexis, compositae sint, roburque illarum physicum seu naturale a firmiori & in-

C

timio-

timiori cohaesione dictorum dependeat elementorum, sub qua singulae illae tantam exserunt vim resistentem seu reactionem, quantam haec earum conditio admittit. Quoniam autem hae ipsae fibrae insimul elasticæ sunt, & idcirco vi extendentis fluidorum transeuntium cedunt; hinc quando ea vim illarum resistentem superat, necessario eidem cedere coguntur, sique diutius in tali statu detinentur, tunc ob imminutam elementorum suorum cohaesionem & elongantur & debilitantur. Augetur ergo hac ratione non solum capacitas & diameter talium canaliculorum, sed humores etiam ibidem stagnantes magis accumulantur, sique vis distendens subinde maiora acquirit incrementa. Quum vero tam fibrillæ, quam membranae vasorum ex iisdem contextae, ex minimis constent particulis terreis, quae plurimis gaudent punctis contactus, adeoque glutinis animalis ope firmius inter se connexæ sint; hinc, si aliquo saltem modo debilitatae sunt, ob imminutam vim resistendi & pluralitatem punctorum contactus, maiorem semper admittere possunt distensionem, citra tamen plenariam cohaesione dissolucionem, indeque tumores tales, ex obstructione prognati, in ingentem & saepe stupendam expandi possunt magnitudinem, absque ulla tamen subsequente violenta ruptura vasorum aut membranarum connexarum.

### §. XV.

Transitus obstructionum, in glandulosis partibus factarum, in scirrum, raro subitaneus esse solet, sed longius plerumque temporis intervallum requirit. Non solum enim ad illum ingenerandum maior copia humorum spissiorum, crassorum & viscidorum, in anfractibus & angustiis

gustiis complurium canalium subsistentium, adeoque perfecta & totalis horum obstructio, requiritur, sed necesse etiam est, ut ab iisdem tenuiores aqueae partes secedant & successiva evaporatione per extremos minimos tubulos removantur, & terreac ac viscidae partes ita quasi exciscantur & in duritatem quandam convertantur, cumque id non nisi diuturniori temporis mora fieri possit, hinc patet, obstructiones communiter citius & promptius generari posse, quam scirrhos. Occurrunt autem hi non tantum in partibus externis, visui patentibus, veluti collo, labiis, gingivis, lingua, mammis & testiculis, sed etiam in abditis corporis nostri visceribus, ubi difficilius cognoscuntur, atque ab aliis morbis internis non, nisi ex circumstantiis rite ponderatis, diiudicantur. Ex illorum autem viscerum classe frequentius iisdem obnoxia deprehenduntur digestoria & depuratoria in abdomen sita, glandulae nempe mesenterii & pancreatis, hepar, lien, renes, uterusque, quae textura vasculosa, obstructionibus maxime favente (§. II.), gaudent.

§. XVI.

Praemissis ergo generalioribus hisce, ad obstructio-  
num & inde oborientium scirrhorum indolem spectantibus,  
ordinis ratio merito postulat, ut ad speciem quandam  
horum singularem, *Scirrum nempe mesenterii*, occasione  
Casus supra communicati enodandum, nunc progrediamur.  
Ex ipsa autem hac relatione historica evidenter  
primo statim patet intuitu, fundamentum eiusdem in te-  
nera iam positum fuisse aetate, quum nempe atrophia,  
lenta febre stipata, defunctus noster laboraret. Illa enim  
ordinarie modo ex lacte materno nimis crasso, viscido

C 2 & ter-

& terreis partibus copiosius referto; modo ex alimentis dyspeptis, mucidis, farinaceis, itemque acidis & austeras, similibusque, aut etiam vinosis vel spirituosis potulentis, intempestive & premature tenellis puerulis ingurgitatis; modo ex nimia constrictione fibulatoriorum arteriorum, corpora infantum moleste iamiam comprimentium <sup>g)</sup>; modo etiam ex prava diathesi sanguinis materni in utero communicati, primam suam caput originem, aliisque dein sub ulteriori progressu accendentibus caussis altiores ponit radices, malumque saepe prorsus immedicabile tandem sistit.

### §. XVII.

Singulae hae caussae non alia ratione noxiā suā in eiusmodi tenellis, aliisque etiam robustioribus, corporibus exserunt efficaciam, quam chylificationis negotium graviter turbando, multasque cruditates & impuritates, viscidas, mucosas, acidas, austeras aliasque in primis viis progenerando, unde dein necessario uniuersa humorum massa temporis successu magis inquinatur, & ob partium heterogenearum & crassiorum copiosiorem retentionem & accumulationem spissior redditur, hacque ratione, dum in primis etiam lympha omnium facilime viscido depravatur lentore, tardus non solum & difficilis evadit fluidorum per canales praesertim angustiores progressus, sed frequentiores etiam subsequentibus dein stagnationibus illorum, vasorumque exinde evenientibus obstructionibus, suppeditantur occasiones, quae in mente-

<sup>g)</sup> Vid. Gualteri HARRIS Tractatus de morbis acutis infantum, Edit. Genev. 1727. pag. I. - 12.

senterio promptius, quam in ulla alia parte, in actum deducuntur, facilisunque tandem in veros degenerant scirros, quoniam & structura & functio eiusdem naturalis noxio tali effectui accelerando singulariter favere videtur.

§. XVIII.

Est enim Mesenterium pars membranacea, cum interiecta pinguedine, sium obtinens medium inter intestina, per quod transeunt varii generis vasa, arteriae, venae, vasa lactea & nervi, plurimis glandulis hinc inde praeditum ac intestinis undique annexum, ut vinculum quasi illorum constituant. Quoniam ergo intestinalium duplex ordinarie constituitur divisio, in tenuia nempe & crassa; hinc etiam totum mesenterium non inepte a compluribus Anatomicorum in duas dividitur partes, *mesafareum* nempe, quod tenuia colligat intestina, & *mesocolon*, quod crassa connectit. Figura mesafarei fere circularis est, ita tamen ut in tota sua circumferentia, versus intestina, in plurimas & flexuosas plicas corrugatur, circa centrum vero planum & nullatenus plicatum sit. Mesocoli autem figura semi-circularis & oblongior deprehenditur.

§. XIX.

Ratione structurae suae compositum est mesenterium ex membranis, quibus in homine sano magna pinguedinis copia interiecta est; ex vasis dein chyliferis sive *lacteis*, nervis satis copiosis, glandulisque plurimis, duabus tandem arteriis, totidem venis, innumeris ramificationibus per totam huius partis substantiam sese diffundentibus.

bus. Generalis eius usus in eo consistit, ut, quoniam firmiter lumborum vertebris & ossi sacro annectitur, eius ope omne periculum laxationis & descensus intestinorum, praecipue sub duris laboribus, saltu, alvi siccioris cum magno conatu depositione, & difficiili partus enixu, prohibetur. Speciarum autem membranae non solum eundem usum praestant, ut nempe pariter vinculum sint intestinorum, sed insuper quoque eo inserviunt, ut in spatio intermedio tum vasa copiosissima, tum etiam glandulae hinc inde dispersae, tuto inter easdem decurrant & contineantur, ne in validis motibus rumpantur, aut a circumiacentibus visceribus comprimantur, quem in finem etiam hae membranae copiosa perfunduntur pinguedine, cuius blando insuper calore hae partes foventur, ut humores transeuntes, sanguis nempe, chylus & lympha, in debita fluiditate permaneant & conserventur.

### §. XX.

*Vasorum lacteorum* usus est, ut chylum ex intestinis recipient, qui per modum transcolationis seu filtrationis in illa transit, relictis in intestinis partibus crassioribus, feculentis & excrementiis. Hiant vero illa inter ipsas membranas intestinorum, ut osculis suis chylum in se recipere possint, qui dein expeditissima via, valvulis returcum prohibentibus, & nova subinde a tergo urgente eius portione, in proximas mesenterii glandulas promovetur, a quibus dein vasa lactea secundi generis omnem chylum recipiunt & in cisternam communem devehunt. *Glandularum* itaque verus usus in eo consistere videtur, ut partim fulcimentum sint vasorum lacteorum, dum rami qui-

quidam eorum illas supergrediuntur; partim vero chylus, per vasa lactea advectus, in iisdem transcoletur & magis attenuetur.

§. XXI.

Sanguineorum vasorum, seu arteriarum & venarum mesenterii, quae inde ad intestina progrediuntur, tanta est copia, quantam vix ulli alii corporis parti, proportione instituta, concessam deprehendimus. Sicuti autem *venae* sanguinem per arterias adiectum recipiunt & revehunt, ut ad Hepar deferatur; ita *arteriosa* vasa partim nutritioni partium membranacearum, partim calori vitali conservando, partim denique separationi & depositioni oleosarum partium, pinguedinem dein constituentium, sanguinisque simul depurationi a partibus recrementitiis tam serosis, quam crassioribus feculentis, per alia emunctoria non aequa facile eliminandis, inserviunt, utpote quae per hos canales ad intestina eorumque glandulas devehuntur, ut in iis separatae tandem in cavitatem intestinorum, tanquam sentinam totius corporis, deponantur, & cum reliquis chylosoes partibus excrementitiis exinde proscribantur. Nervi denique non tam ad sensum & motum, utpote quibus mesenterium destitutum est, & qui tanto exquisitius in intestinis praesto sunt, sed partim ad robur qualecunque huic parti conciliandum, partim ad liquidum illud subtile elasticum, quod ad alias partes etiam transferunt, glandulis mesenterii suppeditandum, destinati sunt, ut chylus eodem magis actuetur & ad sanguificationem dein subeundam aptior reddatur.

§. XXII.

Dum ergo ex compluribus & tam variae indolis partibus

tibus compositum est mesenterium, dum chylus, lympha ac sanguis per eius vasa continuo vehuntur, horumque humorum progressus variis santicis expositus est impedimentis, & perquam facile ab aliis accendentibus caussis graviter turbari & retardari potest, non immerito hinc exinde adserere & concludere licebit, mineram multorum morborum gravium & chronicorum, in primis autem febrium rebellium, in eodem latitare & radices suas longe frequentius agere, quam quidem vulgo reputatur. Quum enim ob loci conditionem & situm, aliorumque viscerum viciniam non facile cognoscatur pars haec proprie affecta, hinc obscuritas ista multis caussa fuit ignorantiae, cur harum mesenterii partium affectus olim in primis praetermissi & Veterum scriptis minus celebrati fuerint.

## §. XXIII.

Ex omnibus autem illis morbis, qui prima sita in mesenterio ponunt fundamenta, frequentissimae solent esse *obstructiones* eiusdem, quae dein foecundam aliorum gravium & santicorum caussam constituant. Quum enim vix in ullo alio abdominis viscere plures & maiores contingere possint vitiosorum & impurorum humorum stagnationes & collectiones, quam in mesenterio, ubi minora praesto sunt vasa, eaque numerosissima, minor sanguinis impetus, glandulae copiosae, chylus saepe crudior & viscidior, obstructionibus producendis aptissimus; merito hinc exinde concludere licebit, quod illi praecipue morbi, qui ex commissis in victu erroribus & diaeta insalubri originem suam ducunt, & sub quibus postea intemperantiae poenas luere coguntur aegrotantes, vix alibi sedem, quam in mesenterio, figant. Manifestissimum autem *ob-*  
*struc-*

*structionis mesenterii exemplum praebet nobis illa atrophiae infantum species, ubi, abdomen in tumorem densum & tactui remitentem elevato, reliquum totum corpus emarcescit & lenta tabe consumitur, &, prout singulae eius partes macie extenuantur, ut vix cutis tandem ossibus haereat, ita tumor abdominis increscit & invalescit, cuius caussa, omnium consensu, est ingressus chylo denegatus, ob viarum obstructionem, dum vel in ipso aditu chylus orificia vasorum lacteorum subire non potest, id quod ex diarrhoea chyloosa tunc coniuncta, una cum continuo cibum assumenti desiderio, hariolari licet; vel chylo transitus per mesenterii glandulas paecluditur, quo in casu simul evenit, ut in molem ingentem adaugeantur hae glandulae, alias minimae, indeque abdomen mirum in modum, cum inaequali duricie, expandatur.*

§. XXIV.

Praeter hanc autem glandularum magnitudinem nimium auctam alii etiam tumores grandiores scirrosi, tam ex coailitu plurium glandularum iam obstructarum, quam ex tota mesenterii structura & substantia paeternaturaliter imminuta, oriuntur & producuntur, quos Veteres interdum steatomatum, atheromatum, aut meliceridum nominibus insigniebant, prout nimirum substantia illorum diversa adparebat, & vel sebo crassiori indurato similis, vel interius in materiam pulmentarem, aut melli spissiori conformem mutata erat. Non lubet haec latius prosequi & per complura exempla probare, cum ipse ille Casus, fundati loco in hac Dissertatione positus, sufficienter tritissimam hanc confirmet veritatem, cui idcirco saltem binas observationes, similis indolis tumores exhibentes, illustratio-

D

nis

tionis aequae ac confirmationis gratia subiungere licebit, quarum unam *TULPIVS* b) communicat, qui in iuventute quodam, cui abdomen intra biennium in eam excreverat molem, ut pro hydroptico fuerit declaratus, sub sectione anatomica ingens invenit steatoma, quod ex mesenterii glandulis excrescens, in eam devenerat magnitudinem, ut, bilanci impositum, ultra libras octodecim ponderaret; alteram *PARAEVIS* i) sistit, qui in foemina quadam mesenterium tumore fere incredibili turgens, & compluribus abscessibus scatens, se invenisse refert, qui singuli peculiaribus inclusi membranis, aliique eorum oleoso, alii melleo, alii sebaceo, aliis albugineo, aliis vero aquoso humore referti erant.

### § XXV.

His ergo debite nunc perspectis & generaliori modo praelibatis, ad ipsam specialiorem Casus propositi enucleationem progrediendum erit, ut demum patescat, qua ratione ingens ille scirrus in defuncto obortus, tantamque in molem auctus fuerit, & quaenam graviorum illorum cundem in progressu ulteriori comitantium morborum cum illo fuerit convenientia, qualisque demum medendi methodus durante hacce tragedia, irrito licet cum effectu, in auxilium fuerit vocata. Prima ergo sua fundamenta universa illa morborum caterva utique posuit statim in prima defuncti aetate, quum sub aere crasso, humido, vaporibusque putridis continuo fere inquinato, educatus, cibisque dyspeptis & crudioribus nutritus, in *atrophiam*, ex caussis talibus infantili & puerili aetati praecipue familiarem (§. XVI.), incideret. Hanc autem ex obstructione quadam glandularum

b) *Observation. medic. Lib. II. Cap. 32.*

i) *Oper. chirurgic. Lib. XXII. Cap. 26.*

larum mesenterii non exigua, sed satis diffusa obortam fuisse, tam ex lenta febre simul concurrente, quam ex tumor more duriori abdominis, sublatis hisce morbis adhuc superstite, talesque obstructiones ordinarie concomitante & indicante (§. X.), liquido appetet. Non dum vero tunc temporis obstructionem illam in scirrhosam inclinasse aut degenerasse indolem, exinde concludere licet, quoniam partim transitus talis vix unquam adeo subitaneus est, sed longius communiter temporis intervallum requirit (§. XV.), partim tumida illa abdominis expansio, licet in totum auferri non potuit, tamen aliquo modo diminuta fuit, quod de vero scirrho haud sperandum est tumore, utpote qui, ob stagnantes humores crassos & viscidos iamiam exsiccatos & quasi induratos (§. cit.), nullam plane sui admittit diminutionem, sed potius ob adfluxum similium fluidorum a tergo continuantem, progressum autem plane impeditum, maiora semper capit incrementa (§. XI.).

§. XXVI.

Quae in puerili aetate dein priori malo successit, *Colicæ biliosa*, molestis vomendi conatibus & tenesmis stipata, procul dubio obstructioni praedictæ magis increbescenti adscribenda fuit. Dum enim partes quelibet obstructæ temporis progressu, ob inductam fibrarum debilitatem & immunitam illarum resistantiam, magis magisque expanduntur (§. XIV.), visceraque vicina, ob molem partis auctam, pressionem molestam patiuntur (§. XIII.), haec ipsa circa duodenum præcipue, a magis expanso tunc mesenterio, procul dubio contigit, bilisque ex ductu choledoco in illud desfluentis ulteriore progressum retardavit, unde illa

D 2

copio-

copiosius ibidem collecta & commixtione cum aliis liquoribus, huc confluentibus, moraque diurniori acrior redditu, stimulando & gravius irritando tam hoc ipsum sensitibile, quam etiam, ex consensu, reliqua connexa tenua intestina, termina illa spasmodica & colica concitavit, quae tamen, reiecta per vomitum faburra bilioso-viscida, plane iterum conquieverunt, manifesto satis documento, quod causa haec materialis unice illorum intuitu in culpa fuerit.

### §. XXVII.

*Febres illae intermittentes, tam quotidianae, quam tertianae, modo regulares, modo anomalae, cessantes aequa ac redeuntes, in adolescentili aetate occurrentes, & ad virilem usque continuantes, tandemque in quartanam degenerantes, primo regularem & simplicem, dein duplicatam, non solum notabile tunc factum obstructionis in mesenterio iam praefentis incrementum, sed insuper quoque reliquorum viscerum abdominalium infarctum aliqualem, & functionum iisdem competentium graviorem turbationem, per consensum inter has partes vigentem (§. XIII.) potissimum inducitam, satis evidenter indicant, confirmantibus haec omnia eo magis tam tumoribus pedum oedematosis, quam dolore obtuso, ex dextra hypochondriaca regione ad lumbarem & umbilicalem usque feso diffundente, qui, quoniام tandem unacum illis tumoribus iterum evanescebat, hepar in primis tunc gravius afflictum fuisse indicabat.*

### §. XXVIII.

Ab eo autem tempore gravis illa & magis magisque subinde aucta mesenterii obstructio successive in scirrhosam indolem degenerasse videtur. Quae enim adpropinquauit

quante quadragesimo aetatis anno defunctum infestabat dirissima *Colica spasmatica - convulsiva*, a magis nunc impedito progressu sanguinis per singula non solum abdominis viscera, sed praecipue per vasa mesenterica ad intestina excurrentia, deducenda erit, dum complures hinc inde factae sanguinis restagnations, vasa pariter ac in primis membranas intestinorum, itemque nerveas propagines per mesenterium excurrentes & in annexos hosce canales ex parte abeuntes, distendendo, premendo, vellicando & irritando, ad vehementiores crispaturas & constrictiones istas summe dolorificas, partes has admodum iam sensibiles sollicitarunt. Sub inaequali ergo tunc reddito & vehementer turbato, per ipsum autem induratum & ad scirrhosam indolem nunc vergens mesenterium plane fere intercepto humorum progressu, fieri aliter haud potuit, quin internus tumor magis se se diffunderet, adeoque abdominis expansio, durities & inaequalitas evidentissima in dies sumeret incrementa.

## §. XXIX.

Sub his ergo circumstantiis dum copiosius congesti & stagnantes intra scirrhosum hoc viscus humores ex parte adhuc fluiditate sua non prouersus destituti erant, ulterius autem propelli non poterant, motus tandem intestinus vim suam evidentius exferebat, mixtionem illorum & cohaesionem partium suarum naturalem penitus dissolvendo & ulcerosam corruptionem in interiori scirrhi substantia inferendo. Contigit hoc procul dubio circa finem quadragesimi secundi anni, quoniam paucis abhinc elapsis mensibus febris superveniebat lenta, manifestum de clandestina hac ulceratione iam facta testimonium ferens,

D 3

quae,

quae, quoniam nulla hic locum habebat corruptatum partium abstersio & mundificatio, saniesque putrida, ex purulenta materia tandem corrupta genita, pedetentim cum humorum massa commiscebatur, illamque non solum inquinabat, sed & ad similem resolutionem corruptioriam disponebat, ultimis denique temporibus in veram hellecam febrem, omnibus suis ordinariis ac fonticis symptomatis comitatem, transibat, sub qua dein miserrime huic usque excruciatu aegrotus e vivis tandem tollebatur, quoniam stupenda illa moles scirhi, versus diaphragma magis ascendens, liberum eius descensum summopere impeditiebat, ut idcirco gravissima orthopnoea, in lethalem transiens catarrhū suffocativum, tristissimam hancce clauderet tragodiam.

### §. XXX.

**E**x his ergo probe inter se collatis circumstantiis manifesto nunc adparet, quod omnino in statu hocce truculento defuncti nostri docta plus valuerit arte malum. Licet enim alias quelibet viscerum obstructions non plane sint immedicabiles, sed in statu recentiori, & quando humores subsistentes non omni prorsus desituti sunt motu, medelam non raro adhuc admittant; in hoc tamen subiecto a primo initio morborum istorum quasi concatenatorum spem talem concipere haud licuit, quoniam atrophia, in prima aetate oborta, febrem statim lentam comitem habuit, caussaque tam multiplices intuitu regiminis incongrui & pravae diaetae, necessario statum in dies peiore reddiderunt, confirmantibus id ipsum morbis subinde gravioribus se invicem per singulas vitae periodos excipientibus. Ut au-

tem

tem completa tandem evadat ipsa superius adducta historia, paucis adhuc ea, quae sub medendi methodo adhibita fuere, coronidis loco subiungere licebit.

§. XXXI.

Quamprimum de obstructione mesenterii oberta fuit suspicio, sub atrophia in aetate infantili sese manifestante, non solum convenientibus, quantum quidem in subiectis talibus, medicamenta saepius naufragiis, fieri potuit, statim eidem occurrebat remedii, sed & sub anteriorum malorum exinde pullulantium progressu efficacissima resolventia, incidentia, attenuantia, demulcentia & roborantia, pro circumstantiarum & symptomatum ratione in usum vocabantur, veluti gummata, ammoniacum, sagapenum, galbanum, iuniperi, sapones artificiales, tinturae alcalinae, extracta amara, tam vinosa, quam aquosa, sub forma tam pilularum, quam elixiorum viseralium, cum alkalisato menstruo paratorum; succi expressi herbarum recentium, acetosae, nasturtii, tam hortensis, quam aquatici, chaerefolii, bescabungae, cochleariae, endiviae, trifolii fibrini, &c. cum iusculo carnium, aut sero lactis exhibiti; iuscula itidem medicata, ex praedictis herbis & radicibus recentibus, cichorei, taraxaci, graminis, petroselini, pastinace, scorzonerae, foeniculi, &c. parata; porro radices imperator. vincetox pimpin. albae. serpentar. Virginian. herbae marrub. albi, fumar. saponar. arnicae cum floribus, cortices Cascarillae, Culilaban, Winteranus, aurantior. in infusis tam theiformibus, quam vinosis, itemque eleuariis; potiones diaphnoicae, pulveres temperantes, digestivi

32. *Dissert. inauguralis medico, de Scirro mesenterii &c.*

gestivi, incidentes & resolventes, non neglecto etiam, convenienti adhuc tempore, aquarum medicatarum, Pyrmontanarum praecipue, Egranarum & Selteranarum usu.


§. XXXII.

Alterantibus his & corrigentibus subiungebantur & interponebantur convenienti tempore evacuantia, tam per alvum, veluti salia fontium medicatarum, Sedlicense, Epsomense, Egratum, de Seignette, Rhabarbarum & radix ac resina Jalappae; quam per diaphoresin & diuresin moderate operantia, non neglectis, pro ratione circumstantiarum urgentium, antispasmodicis & securis anodynisi. His omnibus etiam convenientia iungebantur externa resolventia, discutientia, demulcentia, paregorica & roborantia, in forma saccularum, tam siccorum, quam vinosorum, fomentationum, linimentorum & clysterum; item emplastra camphorata, veluti saponat. Barbette, diachyl. simpl. & compos. de gummi ammoniaco, de cicuta, de galbanio crocatum, &c. cum oleo tartari foetido, aliisque destillatis in virtute sua magis exaltata. Tanto vero medicamentorum apparatu gravia illa & adeo complicata mala minime ad votum eradicari & tolli potuerunt, sed in sola palliativa acquiescendum erat curatione, donec hec tanta tandem febris & assiduis Medicorum laboribus viz  
giliisque, & miserrimae tam diu exeruciati aegrotantis vitae, exoptatum imponeret

F I N E M.







Halle, Md. 76. 1755



Sh

No. 8

Ribat





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

21  
NAVGVRALIS MEDICA  
NS CASVM  
DE  
**MESEENTERII  
L CERATO**

QVAM  
NVMINIS AVSPICIIS  
OSAE FACVLTATIS MEDICAE  
AES IDE  
LENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
OMINO

**ELIA BÜCHNERO**

ANI IMPERII NOBILI,  
IAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
E PALAT. CAESAREO,

**DV DOCTORIS**

NA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
SOLEMNITER CONSEQUENDIS,

EMB. A. S. R. C. I. DCCCLVI.

**GIA FRIDERICIANA**

LICE DEFENDET

AVCTOR

**EHRENFRIED HEBENSTREIT**

SLAVIA - SILESIVS

**MAGDEBURGICAE,  
FÜRSTENIANIS.**

